



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 40. Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Getsemani. v. 37.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**D**omine Deus meus exemplo Petri melius doctus, vires meas sive corporis sive animæ nullas esse, tuam vero potentiam in omnibus mihi adesse, & omni creaturæ in sua operatione necessariam, scio, igitur quid moror? tibi me & omnia mea credo uni, verba actus, cogitationes præsentia & futura tibi offero, tu ea moderare, & rege juxta magnam misericordiam, & voluntatem tuam non meam, si enim non adiuveris me quid sum, aut ero? nihil, terræ inutile pondus massa lutea, mancipium diaboli, perpetuus inferni titio: Ergo me tibi totum credo uni & soli, reje ctis amodo omnibus aliis fulcimentis in quibus temporalem habere possim fiduciam, aut in quibus propriæ vires spe inani me alere consueverunt.

§. 39. *Ait illi Petrus etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, similiter & omnes discipuli dixerunt. v. 36.*

Petrus animosior factus tam ex memoria suæ prælationis inter discipulos; quam etiam ex communione pretiosi corporis & sanguinis Domini, & cum eo etiam cæteri Apostoli, ex fervore spiritus dicebant singuli, & si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et Petrus quidem divino ebrius amore serio tunc opinabatur, nunquam se posse separari à Domino suo, nimirum quamdiu mensæ adhuc Dominicæ accubebat, sed paulo post mensam surgentes, & Domino à mensa ad hortum properante, ubi tentationis locus erat, propter advenientem videlicet ludam cum cohorte militum & tenebrarum principes, ijdem aliter loqui & sentire inceperunt. Dominumque in periculo deseruerunt primum non orando cum eo, deinde dormitando, denique fugâ. Heu inconstantia hominis, si quis vel vino felicitatis potato agilior aut consolatione divina animosior, vel per Sacramenta Dominica excitatior factus sit, quam promptum, quam ferventem animum sentimus? adeo ut etiam paratos videamus, cum Domino in mortem ire, sed recedente felicitate, aut consolatione spiritus, aut adventante qualicumque adversitate, Bonum Deum! quantum mutamus opinionem? quantum verba! voces! affectum! actus!

**D**eus misereatur nostri, sicut misertus est super Apostolorum inconstantia, & confirmet nos sui solius amore & gratiâ æternâ.

§. 40. *Tunc venit Iesus cum illis in villam qua dicitur Getsemani. v. 37.*

Notandum quod omnes discipuli, Juda excepto, Christum comitati sunt à cona usque ad villam Getsemani tum mote inter discipulos recepto, tum propter iurandum quod fecerant paulo ante in mensa, dicentes: *Et si oportuerit me mori tecum non te negabo.* Jbant itaque ea mente ut ostenderent effe-



tu, quod verbo promiserant. Pulchre autem venit cum illis in villam Gersemani, quæ interpretatur vallis pinguiſſima, ut demonstraret per vallem humilitatem & per pinguedinem, charitatem, quibus instructus & armatus Dominus mortem pro nobis susceperat, ut nos doceret, simul ipso etiam loci nomine quid assidue intendere & desiderare tanti Magistri discipuli debeamus, nempe humilitatem nobis, & Deo caritatem.

**O**bfecro Domine duc & me tecum ad hanc villam Gersemani pinguiſſimam humilitatis & charitatis, ut ibi & in pinguedine harum virtutum tibi seruiam omnibus diebus vitæ meæ.

41. Et dixit discipulis: sedete hic, donec vadam illuc & orem. v. 38.

Ecce ipsam humilitatē & maxime caritatē quā statim Dominus in valle pinguiſſima expromit: lubet enim discipulos sedere, post diurnos labores, quod est charitatis, & ipse ad orationem se ire profiteretur, quod est humilitatis. Ipse autem, verē Salvator Mundi, interim passionem inchoat, orationem orditur, à quā nullam sibi requiem concessit, egregium factus exemplum gregis sui.

Domine dedisti in omni actione tua exemplum doctrinæ & pietatis: hic ut disceremus in quibus locis & occasionibus sit orandum, ut semota tumultibus hominum in abscondito preces fundamus, quia maiori id cum pietate & affectu preſtare possumus, sensus enim solitudine magis colliguntur & illis collectis anima quietius irroratur.

**O** Domine, da gratiam, ut meas causas acturus in abscondito potius quætam orare quam inter strepitus & tumultus hominū, ut tecum unitus percipere merear quæ posco ad tui nominis gloriam & meani totiusq; populi Christiani salutem, quando vero in Ecclesia cum & coram alijs orare me oportet, tunc sensus meos claudam, ne per fenestras eorum mors intrare valeat.

§. 42. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi. v. 38.

Cur Dominus tantum hos tres discipulos & non plures aut alios secum assumpserit. Prima ratio esse potest, quia hi tres testes fuerant suæ glorificationis in monte Thabor, ut sic iidem essent quoque testes inicij suæ Passionis, in valle Gersemani. Secunda quia Petrus erat Vicarius Christi futurus in Ecclesia Dei, (a) Joannes Christi Secretarius & quidem intimus, (b) Iacobus primus ex Apostolis calicem bibiturus, (c) 3. quia hi tres maximum habebant zelum tuendæ gloriæ Christi,

Pe-

a ut disceret pati pro ea; b ut scriberet vere c ut exemplis caperet & confortaretur.